V.

DE SCHOLAE ORIGINE.

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO III

DVCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE QVOQUE ET WESTFALIAE, COMITE PROVINCIAE THVRINGIAE, MARCHIONE MISNIAE, PRINCIPIS DIGNITATE COMITE HENNEBERGIAE, COMITE MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTA RAVENSTEINII, TONNAE ET REL.

OPTIMO PATRIAE PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO

DIEM NATALEM AVSPICATISSIMVM

VII KAL. MAII A. R. S. CIↃ IↃCC LI,

ARDENTISSIMIS SVMMORVM IMORVMQVE VOTIS SOSPITE ATQVE INCOLVMI CELEBRANTE,

VIROS,

EXCELLENTISSIMVM A BVCHWALD,

SERENISSIMO PRINCIPI A CONSILIIS INTIMIS, DVC. PROVINCIAE EISENBERGENSIS PRAESIDEM GRAVISSIMVM, REL.

MAGNVM MVSARVM MAECENATEM,

ILLVSTRES AC GENEROSISSIMOS AVLAE PROCERES,

SPECTATISSIMOS SCHOLAE INSPECTORES,

IN IISQVE

MAXIME VENERANDVM EPHORVM,

ET QVOTQVOT

DIGNITATVM SPLENDORE, MVNERVM AMPLITVDINE, MERITORVM ORNATV, DOCTRINAE PRAESTANTIA CONSPICVOS CONDECORATOSQVE MOENIA TENENT EISENBERGENSIA,

AD ORATIONES

GRATIOSE, BENEVOLE, BENIGNE

AVDIENDAS

QVAM HVMILLIME, OBSEQVIOSISSIME, HVMANISSIME INVITAT

M. IOH. DAVID GSCHWEND, RECTOR.

IENAE, LITTERIS WERTHERIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-732322-p0001-8

SI quem vnquam Principem, L. H. exemplar proponendum eſſe exiſtimares, a quo poſteritatis Principes exemplum capiant: hoc omnino a SERENISSIMC PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO III, DVCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE QVOQVE ET WESTFALIAE, COMITE PROVINCIAE THVRINGIAE, MARCHIONE MISNIAE, COMITE PRINCIPIS DIGNITATE HENNEBERGIAE, COMITE MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTA RAVENSTEINII, TONNAE, RELIQ. PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO, ad imitandum propoſito peti poſſe, haud quaquam fallerere. Idcirco &

ADOLESCENTES HVMANISSIMI,

ET PIETATE ET MODESTIA ET DOCTRINA ORNATISSIMI,

IOHANNES CHRISTIANVS GSCHWEND, Altenb. Miſn.

CHRISTIANVS MICHAEL THEOPHILVS a RHODA, Molauio-Oſtl.

IOH. CHRISTIANVS GOTTLOB SCHVMANN, Altenb. Miſn.

IOH. MICHAEL POTISCH, Eiſenbergenſis,

Cathedram conſcenſuri, quorum primus de *Diuina Summorum Principum Poteſtate*, Idiomate Latino dicturus; alter, *ciuitates a nullis melius*, *quam a ſapientibus Principibus regi*, eodem Idiomate probatum iturus; tertius lingua vernacula *Imperiorum Simulacra* ponderaturus & quartus eadem lingua, ad numeros vero adſtricta, *Subiectorum in Principem Pietatem* delineaturus, LONGE CLEMENTISSIMVM PRINCIPEM ET MITISSIMVM PATRIAE PATREM digniſſimis celebrare laudibus haud difficile arbitrantur: minus enim verentur, ne, quum de pietate loquantur, impietatem; quum de clementia, crudelitatem; quum de munificentia, auaritiam SIBI PRINCEPS exprobrari credat. Ea tantum difficultate laborant, ne in SERENISSIMI PRINCIPIS laudibus nimis parci ſint, quem magni terrarum Principes ſuſpiciunt, populi admirantur,

Saxonia ſubmiſſe veneratur. Proficiſcamini ex intimo pectoris adfectu vota, cum differentium votis vos coniungite, ruptis nubibus SVPREMVM flectite vitae necisque ARBITRVM, vt huius vmbrae procul diſcedant, illius autem ſplendor quam longiſſime coruſcet & vitae dulciſſimae SERENISSIMI PATRIAE PATRIS diuturnitatem, virium corporis animaeque incolumitatem, imperii felicitatem incorrupta teneat copula! Quo de prosperitate SERENISSIMI CONIVGIS CONIVX SERENISSIMA, PRINCEPS AC DOMINA NOSTRA MVLTO CLEMENTISSIMA, quod admirandum virtutum Exemplar DEVS ſeruet ac tueatur! adficietur gaudio! Qua laetitia SERENISSIMVS PRINCEPS HERES, quem diuina protegat prouidentia! qua SERENISSIMA DOMVS SAXONICA GOTHANA, cuius votis coelum reſpondeat! exſultabit! Quam Optimates, Ciues, Terrae tripudiabunt!

Ante vero, quam B. L. de *Scholae Origine*, ordine inſtituti id poſtulante, mentionem ſum illaturus, TE celare non nolui, *Maxime Venerandi Ephori meoque conſenſu* Filium meum eumque unicum exantlatis litterarum ſtudiis, quibus puerilis aetas & adoleſcentia in Scholis imbui ſolet, poſtremo Muſis Eiſenbergenſibus ſalutem eſſe dicturum. A VII Iduum Ian. A. CIↄIↄCCXXXVIII, Scholam, quae heic loci floret, Praeceptoribus ſingulari eruditione & dexteritate inſtructis, Viris Clariſſimis, *Plarrio, Lindemanno, Welckero, Artium Magiſtro*, vſus frequentare cœpis. Luſtratione Muſarum publica circa Michaelis Feſtum, CIↄIↄCCXXXXV, habita non indignus *Grauiſſimis Inſpectoribus* ſelecti Ordinis auditor viſus me Rectore ſcientiis linguisque impertitus eſt. Non eſt Parentis modeſtiae, vt ſcribat: Quibusnam verbis Filii laudem conſequar? Bona tamen fide adfirmo, quod nec hebes, nec durus, nec deſes ad Athenaeum prope Salam celeberrimum, Emporium cunctarum ſcientiarum & artium nobiliſſimum, OPTIMI PATRIAE PATRIS INSIGNI MVNIFICENTIA ſtipatus, proficiſcatur. Abeuntem Adoleſcentes Modeſtiſſimi iuxta & Diligentiſſimi, *Io. Fridericus Choinanus, Flurſtadio Thuringus* & *Immanuel Ioh. Gerhard Schellerus, Querfurtenſis*, votis, hic Graeco, ille Germanico, Idiomate conceptis comitabuntur.

Quarta Diſſertatiuncula, vt ad propoſitum veniam, ipſum DEVM Scholae Autorem eſſe idque inſtitutum Iuri Naturae non repugnare, iui probatum. Ab his non abeunt, quae ſequuntur; Ad noſmet ipſos attendamus. Cuius impulſu trahimur ducimurque omnes ad cognitionis & ſcientiae cupiditatem? Quare pulchrum putamus in ea excellere, malum vero & turpe ducimus labi, errare, neſcire, decipi? Reſtingui poteſt illa cupiditatis laude digniſſima ſitis, niſi te optimis praeceptis expleas? Vbi loci vitae morumque & doctrinae praecepta meliora percipiuntur, niſi in ludis litterariis? Peroſum has docentium & diſcentium ſocietates DEVM exiſtimes, quum ipſi Prophetae inſtinctu diuino ludos aperuerint, vt in iis legati ad gentem Iſraeliticam aliquando ablegandi inſtituantur; quum Saluator omnium Doctorum ſapientiſſimus Iudaeorom Scholas ingreſſus longe egregia ſapientiae ſpecimina edidiſſe perhibeatur?

Scholae iam originem indagare altioris paullo indaginis eſſe videtur. A condito ſtatim mundo frequentes docentium ac diſcentium ſocietates in publica aedificia docendi diſcendique cauſſa confluxiſſe, vero non habetur ſimile. Equidem inſtituendi negotium non obſcuram Scholarum notionem ducendum ac benigniſſimum DEVM primorum totius humani generis parentum ſalutem vera cura complexum ſaluberrima morum praecepta tradidiſſe, quibus ſeruatis integritatis quoque ſtatus integer atque ſaluus ſeruari potuiſſet, utraque manu largior. Nec Rabbinorum opinionem verbis ſupremi Numinis, *Gen. XIIX, 19* ſuffultam: *Scio, Abrahamum ſuis liberis & domui ſuae poſt ſe futurae praecepturum eſſe, vt in viis Domini ambulent & faciant, quod rectum bonumque ſit*; Patriarcharum tantum non omnium inſtitutione ex ſe genitis diuinam voluntatem innotuiſſe, omnem inſulſam arbitreris. Quin cuiuis etiam gentis Iſraeliticae patrifamilias DEVS iniunxerit, vt ſuis quisque filiis diligenter & acute ingerat, Iehouam ex toto corde, ex toto animo, ex totis viribus diligere;

in

in nullum vocatur dubium. Quid? quod *Hanna* curae partem in *Samuelem*, *Bathſeba in Salomonem. Lois & Eunica* in nepotem iuxta & filium, *Timotheum*, bene educandum & imbuendum deriuauerint; *Eyridice*, Orphei coniux, item & *Cornelia*, ad quam *Gracchi* originem retulerunt; pariter ac *Aurelia*, Iulii Caeſaris, *Attia*, Auguſti mater, mentem ſtudiumque ſingulae in ſuis ipſarum filiis erudiendis confixerint, omnibus doctrina excultis res nota eſt atque manifeſta. Praeterea liberorum & inſtitutionem & cuſtodiam propinqua adeo cognatione coniunctis olim creditam fuiſſe, Rhetore celeberrimo, corruptum Romanorum ſermonem ad veterem nitorem reuocante, teſte fide dignisſimo, *Eligebatur*, inquiente, *aliqua natu maior propinqua, cuius probatis ſpectatisque moribus omnis cuiuspiam familiae ſoboles committeretur, quae non ſtudia modo, ſed remiſſiones etiam luſusque puerorum ſanctitate quadam ac verecundia temperabat*: contra quid monendum ſit, non video. Verum enim vero in medium prolata diſciplinam priuatim modo traditam euincunt, non autem publicam confirmant Scholam. Cui proinde conſtituendae multiplicato hominum genere adauctoque ſcientiarum numero parentes ad docendum aut minime apti, aut re domeſtica & publicis maxime negotiis diſtricti viam patefeciſſe pluresque vna fuiſſe mente creduntur, doctrina & ſapientia & vſu praeſtantibus viris liberos rebus optimis imbuendos committere. Quod quum aliae ciuitates a reipublicae commodo non alienum animaduerterint: eorundem, incognitorum licet aetati noſtrae defectu monumentorum temporis iniuria ereptorum, auctorum veſtigia legentes ex compoſito publicas conſtituiſſe Scholas a veritatis tramite non deflectit. Aegyptios in primis Scholas publicas aperuiſſe: quod iam ante Moſen, A. M. MMCCCLXXIII natum, profunda illorum ſapientia inſtructum, litterarum & ſapientiae ſtudia in Aegypto a Sacerdotibus Geometriae, Aſtronomiae, Chemiae non expertibus partim columnis, partim libris ſacris inſcripta & propagata mirum in modum floruerunt; vetustisſimo omnium codicum euoluto planum fieri poſſe crediderim. Prophetas in gente Iudaica publicos fuiſſe doctores filiosque ipſorum habendos eſſe diſcipulos ſcientiis atque artibus perpoliendos, res apud omnes eſt peruulgata. Nec mediocrem pariter in pueris educandis diligentiam Perſae adhibuerunt, a ſolicita, non temere rati, & fideli liberorum inſtitutione patriae ſalutem pendere. Quam ob cauſam cum purpura & inſignibus regiis ſedentes propter coecam parentum indulgentiam & tenerum in filios amorem non ad eos, ſed ad ſe, quod liberi non tam parentum, quam rei ſint publicae, inſtitutionis negotium pertinere ſunt arbitrati. Ex quo perſpicuum eſt & oculis quaſi iudicari poteſt, in parentum domibus liberos non eſſe inſtructos, ſed publicis alibi doctoribus corpori aeque ac menti prouidentibus commiſſos. Definitis locis horisque praeſcriptis diſcentes aliis quidem ſtudiis, aliis cibo, aliis remisſioni vacabant; huic, ne continui labores moleſtiam atque dolorem pariant; illi, vt exhauſtae corporis vires alimentis, tenuibus licet, ſed Studioſis accommodatisſimis, pane lauere & aqua reficiantur; iſti, vt patriae aliquando vſui eſſe queant. Ad id, quod aequum & iuſtum eſt, excolendum quam maxime inſtruendi tantum abeſt, vt ingrati modo notati, vt potius criminis rei ſint iudicati. Hac inſtitutione, qua nihil honeſtius, anteuertebant vitiorum prauitatem, nec Scholae ergaſtulorum vicem ſubibant.

V.

DE SCHOLAE ORIGINE.

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO III

DVCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE QVOQVE ET WESTFALIAE, COMITE PROVINCIAE THVRINGIAE, MARCHIONE MISNIAE, PRINCIPIS DIGNITATE COMITE HENNEBERGIAE, COMITE MARCAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTA RAVENSTEINII, TONNAE ET REL.

OPTIMO PATRIAE PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO

DIEM NATALEM AVSPICATISSIMVM

VII KAL. MAII A. R. S. CIϽ IϽCC LI,

ARDENTISSIMIS SVMMORVM IMORVMQVE VOTIS SOSPITE ATQVE INCOLVMI CELEBRANTE,

VIROS,

EXCELLENTISSIMVM A BVCHWALD,

SERENISSIMO PRINCIPI A CONSILIIS INTIMIS, DVC. PROVINCIAE EISENBERGENSIS PRAESIDEM GRAVISSIMVM, REL.

MAGNVM MVSARVM MAECENATEM,

ILLVSTRES AC GENEROSISSIMOS AVLAE PROCERES,

SPECTATISSIMOS SCHOLAE INSPECTORES,

IN IISQVE

MAXIME VENERANDVM EPHORVM,

ET QVOTQVOT

DIGNITATVM SPLENDORE, MVNERVM AMPLITVDINE, MERITORVM ORNATV, DOCTRINAE PRAESTANTIA CONSPICVOS CONDECORATOSQVE MOENIA TENENT EISENBERGENSIA,

AD ORATIONES

GRATIOSE, BENEVOLE, BENIGNE

AVDIENDAS

QVAM HVMILLIME, OBSEQVIOSISSIME, HVMANISSIME INVITAT

M. IOH. DAVID GSCHWEND, RECTOR.

IENAE, LITTERIS WERTHERIANIS.